

R. P. D.

CORTADA

Cracovien. Decimarum

Super Bono Jure.

Lunæ 27. *Aprilis* 1750.

PETIIT, & obtinuit Matthias Rozanski, qua Parochus Ecclesiæ Sanctæ Catharinæ Villæ Wilkovuisko adjudicari sibi in Consistorio Ecclesiastico Cracoviensi jus consequendi Decimas in Manipulis, idest in qualibet specie fructuum ex Agris dictæ Villæ de directo Dominio Abbatis Ciriciensis Ordinis Cisterciensis, quas idem Abbas, & Conjuges de Pianstunzyski Tenutarii possessores eorumdem Bonorum contendunt

dunt fore exigendas in quantitate, ideft in Florenis fexaginta Polonicalis monetæ; Sententiam confirmavit A.C. Cincius, decernendo ulterius favore Parochi manutentionem in quasi possessione exigendi decimas in manipulis; Nova itaque Causæ notione delata ad Sacrum nostrum Tribunal in vim Rescripti Signaturæ Justitiæ ita concepti = *Quoad Mandatum de manutenendo alteri cum facultate manutenendi quem de Jure : in reliquis de appellatione* = bina hoc mane exhibui dubia, alterum super manutentione, de quo in contemporanea negocii discussione, & alterum, de quo in præsens, super bono jure, nimirum = *An Decimæ de quibus agitur, debeantur in Manipulis, seù potiùs in pecunia in casu &c.*, quod DD. definierunt respondendo = *Decimas deberi in Manipulis*.

2 Non uno ex fonte profluunt Jura Parochi ad hoc, ut nequeat eidem disputari exactio Decimarum in Manipulis; Ità enim cautum expresse legitur in Jure Canonico per *Text. in Cap. primo. cap.6., & sequen. cap 21., & sequen., & cap.24. de Decimis*, & consentaneè firmat cum aliis, *Rot. decis.*110. *num.2. decis.*125. *num.*1., & 2. *part.*11., *decis.*91. *num.*1. *part.*14. *recen.*, *in Cracovien. Decimarum* 25. *Junii* 1706. §. *Et Decimas*, & *in illius confirmatoria* 5. *Maii* 1710. §. *Præsupposita coram bon. mem. Caffarello*, & *in alia Cracovien. Decimarum* 26. *Februarii* 1723. *coram bon. mem. Cerro*.

3 Viget conformis in toto Regno Poloniæ consuetudo firmata per Sententiam Sigismundi III. usque ab anno 1614. relatam inter Statuta, & Constitutiones Regni, perque iteratas res judicatas : & observatur præcipuè in Diæcesi Cracovien. nedum ex antiquissimo recepto more in Judicio quoque canonizato, verum ex Constitutione non semel in Synodis edita, nempe anno 1381. confirmata à San. Mem. Gregorio XIII., & anno 1628., authorante San. mem. Urbano VIII., ac demum sub annum 1643. in Synodo Provinciali Gnesnensi, quæ, conformiter ad prælaudatas mox Synodos, prævia discussione, & approbatione Sacræ Congregationis Concilii authorata cum clausula *sublata*, & *Decreto irritanti* à San. Mem. Innocentio X. statuit exactionem Decimarum in Manipulis, & simul comminata pæna Excommunicationis vetat recipi ex pacto convento pro Decimis annuam pecuniariam pensionem loco solutionis in specie. His autem ritè probatis consequens est denegari non posse Parochiali Ecclesiæ Actrici exactionem Decimarum in Manipulis, per ea, quæ in proposito dixit *Rot. in cit. decis.*125. *num.*11. *part* 11., *decis.*91. *num.*1. *par.*14. *recen.*, *in Varsavien. Decimarum* 1. *Julii* 1715. §. *Nec pro*

ti-

titulo coram bon. mem. Fofcaro, *&* *in Cracovien. Decimarum* 26. *Junii* 1747. §. 2. *coram R. P. D. meo Clemente*.

4 Tantoque firmius, quia non dubitatur, attributam Parochiali huic Ecclesiæ fuiſſe in fundatione Dotem in Decimis Manipularibus, nedum in univerſum ex omnibus Prædiis intra Pareciæ fines juxta immotum documentum Libri Retaxationum, & Beneficiatorum, cui plenè ſemper detulit Sac. Auditorium, ſignanter *in recen. deciſ.*664. *num.*5. *part.*18., *in dicta Cracovien. Decimarum* 26. *Februarii* 1723. §.*Et quidem coram bon. mem. Cerro*, *&* *in Cracovien. Decimarum* 26. *Junii* 1747. §.3., *&* 4. *coram R.P.D. meo Clemente*, *&* *in Cracovien. Decimarum* 6. *Martii proximè præteriti* §.*Vix autem coram Me*; Verum præterea ex Agris, de quibus diſceptatur, veluti probant actus Viſitationum anni 1592., & 1664., quibus non convenit, fidem abnuere *Rot. in Cracovien. Decimarum* 15. *Martii* 1651. *inter impreſſas coram Bich. deciſ.*463. *num.*4., *&* 5., *&* *in d. Varſavien. Decimarum* 1. *Julii* 1715. §.*Sed inſuper coram bo.me. Foſcaro*.

5 Planè adverſus debitam ex tot Juris communis, & particularis fundamentis Parocho ſolutionem Decimarum in qualibet fructuum ſpecie inutiliter obiiciebatur conſuetudo, ſivè præſcriptio, vi cujus excipiebat Abbas Ciricienſis, fuiſſe inductum, ut decimas penſitet per ſe, vel per Conductores, aut Tenutarios bonorum, de quibus agitur, in pecunia, ſivè in annuis Florenis ſexaginta; Etenim nec ex Teſtibus, neque ex datis acceptilationum Syngraphis evincebatur oppoſita conſuetodo, vel præſcriptio, quæ de cætero ſuaderi rigidè debet eo ipſo, quod pro exactione Decimarum in Manipulis aſſiſtit Parocho cenſura Juris, & ſimul quoque obſervantia tùm univerſalis totius Regni, tum particularis Diœceſis Cracovienſis conſtabilita per res judicatas, nominatimque vigore memoratæ Regiæ Sententiæ inter Regni Statuta recollectæ derogantis expreſsè cuicumque longiſſimi temporis præſcriptioni, nec non diſpoſitio Synodalis annorum 1381. 1628., & ultima de anno 1643. confirmata in forma ſpecifica ſub munimine clauſulæ *ſublata*, *&* *Decreto irritanti* auctoritate Apoſtolica prohibens ſub pœna Excommunicationis, ne ſolutionem Decimarum in hac Provincia tam laudabiliter obſervatam commutare præſumant in pecuniariam penſionem.

6 In hac enim facti ſpecie non recipitur conſuetudo, & præſcriptio in contrarium, veluti de conſuetudine, & præſcriptione adverſativa Sanctioni Apoſtolicæ roboratæ clauſula *ſublata*, *&* *decreto irritanti* monet *Rot. deciſ.*39. *num.*13., *&* 14. *coram Ottobon.*, *&* *in Hyſpalen. Jurisſedendi in Synodo* 20.

 Ja-

Junî 1697. §. Post breve coram bon. mem. Muto, eo vel maximè, dum non convincatur inducta per actus canonizatos non semel in contradictorio Judicio juxta indolem consuetudinis, sivè præscriptionis contrariæ dispositioni Juris communis aut Statutorum, *Bald. cons. 275. num. 3. in fin.*, *Bero cons. 162. num. 5. lib. 3.*, *Rot. decis. 125. num. 10. part. 11. rec.*, *decis. 91. num. 7. part. 14.*, *in Cracovien. Decimarum 5. Junii 1683. § Non adversantur coram bon. mem. Paulutio*, *in Anconitana restitutionis Dotis 14. Maii 1728. §. Quod verò*, *& seqq. coram bon. mem. Nunez*, *& in mox allegat. alia Cracovien. Decimarum 26. Junii 1747. §. 7. coram R. P. D. meo Clemente*.

7 Irrito aliunde tamen conatu proponebatur consuetudo, sivè præscriptio immemorabilis insinuata ex ore quatuor Testium asserentium vidisse se, atque à suis etiam majoribus semper audivisse factam perpetuò prò disputatis decimis solutionem in annuis florenis 60.; Nil quippè iidem minùs, quam prætensam immemorabilem concludunt: dum præmisso, quod Testes inducti ad hunc effectum carere debent omni exceptione, ad tradita per *Ansald. in Adden. ad decis. 78. num. 77.*, & passim alibi, tales dici nequeunt Testes allati, quoniam apparent expiscati pendente lite, & omnes comperiuntur addicti servitio Monasterij Ciriciensis, eorumque ulterius depositiones fuerunt serò nimis productæ, in quarum occursu circumstantiarum emicat undequaque juridica contra Deponentes, & depositiones exceptio, prout observat promiscuè *Rota in Recent. decis. 772. num. 3. part. 2.*, *decis. 243. nu. 3. part. 3.*, *decis. 297. num. 21. part. 19.*, *coram Falconer. dec. 6. num. 11. de Testam.*, & cum aliis *in Romana Salarij 14. Junij 1748. §. Fin. cor. me.*

8 Accedit, fuisse examen Testium receptum à Monacho Colligantis Cænobij, cujus nec etiam ullo Documento probantur legales pro obeundo notariatu facultates, veluti necesse cæteroquin foret juxta præscriptum juris, & stylum Curiæ *Alex. cons. 112. sub num. 1. lib. 4.*, *Boer. decis. 36. num. 7. & 10. & Rot. decis. 703. num. 4. part. 2. Recent.* nec, si jure examen recipere licuisset tamquam Notario, ritè examinati Testes censerentur favore ipsius Monasterij, *Rota in Recent. decis. 705. num. 4. part. 2.*, *& decis. 1677. numer. 3. in fin. coram Scraphin.*; Rejecto autem Testium examine, frustra ipsi assumuntur ad comprobandam immemorabilem *Adden. ad decis. 78. coram Ansald. numer. 70.*, *Rota in Recent. decis. 334. num. 23. part. 13.*, *& decis. 224. num. 13. part. 17.*, & alibi frequenter.

9 At fortiùs aliena à Scopo sunt *dicta* Testium, quippè non coar-

ctant

ctant *negativam* solutionis decimarum in manipulis, dum unicè asserunt, se non vidisse, neque audivisse, quod Piebani exegerint Decimam manipularem, & quidem sine ulla scientiæ Causa, quando cum necessaria Causa scientiæ, ad *Text. in Cap. super litter. de Testib.*, *Rot. decis.* 1271. *nu.* 17. *coram Lancett.*, debebat concludi, non potuisse Decimas solvi alio modo, & forma, præterquam in pecunia, quin ipsis innotesceret, *Rot. decis.* 116. *num.* 6., *& sequent. part.* 9., *decis.* 208. *num.* 13. *part.* 12., *decis.* 395. *num.* 2. *part.* 17. *Recent.*, *& in Toletana Decimarum super bono jure* 26. *Junij* 1722. §. *Cum autem*, *& seqq. coram bon. mem. Cerro*, *& in ejus Confirmatoria* 16. *Januarij* 1723. §. *Sed in universum coram eodem*.

10 Immò nec affirmativam præstationem Decimarum in pecunia referunt ita, ut testentur, se vidisse per 40. annos receptas annuatim sine contradictione solutiones in summa florenorum 60., & audivisse id ipsum à suis Majoribus, absque eo quod iidem, aut majores viderint unquam, vel audiverint fuisse præstitas modo, & forma contraria, quemadmodum juxta famigerat. *glos. in Cap.* 1. *de pr scr pt. in* 6. oportet concludi per Testes immemorabilem, & adhæsivè notat *Rot. in Recent. decis.* 432. *num.* 4. *part.* 3., *decis.* 512. *numer.* 1. *part.* 5., *decis.* 143. *num.* 6. *coram Eminentissimo Tanario*, *& in laudata Toletana Decimarum super Bono jure* 26. *Junij* 1722., *& confirmatoria* 16. *Januarij* 1723. *in cit.* §§. *coram bon. me. Cerro*.

11 Re autem vera non in sola omissione formæ coarctandi negativam, & in defectu Causæ scientiæ, ac in reticentia circumstantiæ, quod nec ipsi, neque majores viderint, aut audiverint fuisse solutas Decimas in manipulis consistit vitium probationis immemorabilis: sed occurrit ulterius non potuisse Testes hanc deponendi normam servare eo ipso, quod cum Synodus Provincialis Gnesnensis habita Anno 1643. jusserit retineri laudabilem observantiam præstandi decimas in specie, vetando idcircò sub pœna excommunicationis commutationem solutionis in pecuniariam annuam pensionem, cujus providæ Synodali sanctioni accessit robur confirmationis Apostolicæ impertitæ cum clausula *sublata*, *ac Decreto irritanti*, magis est, ut indè inferatur, Parochum, se conformando hujusmodi pœnali sanctioni, exegisse Decimas controversas in manipulis, maximè quia acta subindè visitatio Anni 1664. narrat, quod Ecclesia Parochialis Sanctæ Catharinæ = *habet decimam manipularem in Villa VVilkovvisko post Agros prædiales Domini Abbatis Ciriciensis* : quapropter stante præsumptione exactionis Decimarum in manipulis post

editam Constitutionem Synodalem, eaque positivè quoque, probata ex visitatione Anni 1664., procul arcetur unum ex requisitis consuetudinis, sivè præscriptionis immemorabilis; quod nimirum nullus contigerit actus contrarius, & per consequens hòc quoque respectu decidit ass. immemorabilis, cum ad illam destruendam sufficiat rumor in oppositum, *Rot. in Recent. decis.* 254. *num.* 1., *&* 2. *part.* 1., *decis.* 865. *numer.*16. *coram Molin.*, *decis.*85. *num.*7. *coram Eminentissimo Tanario*, & alibi.

12 Allegatam ex depositione Testium immemorabilem consuetudinem, sive præscriptionem nec pariter convincebat longa series Apocarum ab Anno scilicet 1631. ad usque Annum 1747. continentium acceptilationem Parochorum pro satisfactione Decimarum in annua pensione florenorum 60., quandoquidem pro rejectione immemorabilis relativè ad dictas quietantias, ultra mox animadversam circumstantiam, quod intermedio saltem Anno 1664. probatur solutio in manipulis juxta acta Visitationis: Occurrebat in facto, eas non afferri per continuatum, ac numquam interruptum Ordinem annorum consequentium, sivè attendantur singraphæ de recepto antè initium labentis sæculi, sivè aliæ subinde ad usque Annum 1747., & per consequens, remota simili actuum continuatione, efformari nequiit immemorabilis, sicut neque centenaria consuetudo, vel præscriptio *ad Textum in leg.* 1. §. *Julianus ff. de itiner.*, *actuque privat. Paris. cons.*27. *numer.*150. *vol.* 1., *&* *cons.*37. *numer.*13. *vol.* 4., *Rot. sæped. decis.*91. *sub num.*9. *vers. continua possessio numer.*14., *&* *decis.*238. *num.*12. *part.* 18. *recent.*, *&* *in Cracovien. Decimarum* 27. *Junij* 1749. §.8. *coram R.P.D. de Canilliac.*

13 Pro eo namque, quod respicit Apocas solutionum vetustiores, non ambigitur exhibitas ab Abbate fuisse in præcedentibus Causæ instantiis tales, quæ incipientes sub Annum 1631. desinunt ad Annum 1635., nec nisi per saltum ad Annum 1688. ulla ab inde citra quietantia tunc innotuit cum novæ successivè interruptione duorum annorum post Annum 1693.; neque dissimiles actuum interpolationes contigerunt in decursu labentis sæculi, quippè post Annum 1705. nullibi usque ad 1712. emicat, Parochum accepisse pro disputatis decimis pensitationem in pecunia, & quamvis subindè aliæ exhibeantur quietantiæ, attamen non controvertitur illarum deficientia post Annum 1730. ad 1736. Ex saltuaria itaque ad oculum comperta solutione Decimarum in quantitate apparet deficere seriem actuum per continuatam temporis centenariam.

14 Implere quin licuerit vacuam tot annorum intercapedinem replicatione, quod nempè ex aliis nunc primum datis Apocis pro-

probatur conſimilis ſolutio in pecunia relativè ad cæteros annos, & quod de continuata per ſingulos annos penſitatione in florenis 60. deponant Teſtes, ac denique ex eo, quod per hujuſmodi ſolutiones probatas tam pro tempore anteriori, quam poſteriori admitti debeat vehemens præſumptio, fuiſſe Decimas intermedio etiam tempore ſolutas eodem modo, & forma.

15 Momentum ſiquidem nulla ex parte habuit replicatio: Quo enim ad quietantias noviſſimè exhibitas obſtitit primò, eas gravi laborare ſuſpicione, attenta ſerotina productione in tertia inſtantia, & ſimul jure de illegalitate redargui, tum quia fuerunt extractæ, & exemplatæ ſine prævia Collitigantis interpellatione, & à Notario, qui talis non docetur, juxta allegata *ſuperiori §. Accedit*; Notabatur deindè, quod neque ex iſtis noviſſimè proditis quietantiis reſultat continuata per ſingulos annos penſitatio Decimarum in pecunia, adeoque ſubſiſtit adhuc nihilominus pro rejectione immemorabilis, & centenariæ exceptio interruptionis in pluribus interpolatim annis, quibus proinde valet ſuſtineri exegiſſe Parochos Decimas in manipulis, quæ ſola poſſibilitas eſt ſatis ad intentum, cum ſolutioni in manipulis aſſiſtat expreſſa Juris Canonici providentia, famulativa Juri communi obſervantia in Regno Poloniæ, & in Diœceſi Cracovien. in vim rerum quoque judicatarum, & quod magis eſt, ultra alias præcedentes, Conſtitutio Synodalis anni 1643. munita ſpecifica Apoſtolicæ Sedis confirmatione cum clauſula = *ſublata, & decreto irritanti* =, ad cujus præſcriptum non potuit ſine incurſu in Excommunicationis pœnam ſubrogari in locum Decimæ Manipularis penſitatio in pecunia; eaque propter in concurſu tàm validæ Juris aſſiſtentiæ, pro neceſſaria etiam exactione Decimarum in ſpecie concluditur, quod Parochi Manipulos re ipſa acceperint pro Decimis, quoties procul ab omni exceptione non doceatur de ſolutione in quantitate, ad *Text. in leg. Quoties de reb. dub.*, *leg. Merito ff. pro Socio*, *Menoch. de præſumpt.* 17. *num.* 6., *Rot. deciſ.* 1189. *num.* 5. *coram Lanceit.*

16 Inſpecta potiſſimum malignante præſcriptionis natura, quæ veluti odioſa educi neceſſario debet ab actibus univocis continuatis, nec umquàm interruptis *leg.* 1. §. *Julianus ff. de itinere actuque privato*, ubi *Bartol. in* §. *Si quis hoc interdicto*, *cap. cum olim*, ubi *Abb. de præſcript.*, *Rot. deciſ.* 91. *ſub num* 9. *verſ. Continua poſſeſſio*, *& deciſ.* 238. *num.* 12. *par.* 18. *recent.*, *& in Cracovien. Decimarum* 27. *Junii* 1749. §. 8. *coram R. P. D. meo Canilliac*, ejuſque vis, & potentia non ultra excurrit niſi quouſque fuerit actu comprehenſum

Bald.

Bald. in leg. final. num.8. verſ. Unum aliud Cod. commun. utriuſque Jud., *Jaſon. in leg.3. §.1. num.25.*, *& 37. ff. de acquir. poſſeſs.*, *Rot. deciſ.265. num.34. par.5.*, *& dec.20. num.9.*, *& 10. par.3. recent.*, imò cum relatæ ſolutiones Decimarum in pecunia legantur aliquando acceptæ juxta temporum viciſſitudines, & Parochorum egeſtatem, & quandoquæ præſervent decimam manipularem cum expreſſione = *pro Decima manipulari* = ad notata per *Rot. deciſ. 225. num.8. par.11. Recent.*; Nil magis eſt, quam, ut exinde arguatur, contigiſſe præſtationes Decimarum manipularium in pecunia, quia ita libuit Parochis pro tempore; Adeòque ſtante qualitate actuum facultativa nequiit in ipſis radicari conſuetudo, & præſcriptio, niſi doceatur fuiſſe Parochos ad id compulſos Judicis imperio, ac diù acquieviſſe, *Rot. coram Seraphin. deciſ.1202. num.8.*, *in recent. deciſ.110. num.5.*, *& deciſ.125. num.9.*, *& ſeq. par.11.*, *coram Bich. deciſ.563. num.6.*, *& ſeq.*, *in Cracovien. Decimarum 5. Julii 1683. §. Non adverſantur coram Paulutio*, *in Varſavien. Decimarum 5. Julii 1715. coram Foſcaro*, *& in alia Cracovien. Decimarum ſuper bono jure 26. Junii 1747. §.7. coram R. P. D. Clemente.*

17 Valet autem perpenſa ratio, ut rejiciantur omninò cumulatæ Teſtium depoſitiones, & præſumptio ſolutionis pecuniariæ correſpectivè ad annualitates, pro quibus non afferuntur Apocæ quietantiæ, deducta ex probata reſpectu temporis anterioris, & poſterioris ſolutione in pecunia; Etenim cum exceptiones Teſtes patiantur animadverſas §. *Irrito aliunde conatu*, neque per eorum *dictum* excludatur, fuiſſe poſſibilem præſtationem Decimarum in Manipulis, retinenda venit conformis tot titulis præſumptio circa exactionem manipularem, cui cedere præſumptioni debet altera inopportunè in themate propoſita: Maximè, quia relativè ad annum 1664. habetur ex actis Viſitationis Eccleſiæ Parochialis, præſtari eidem Decimas in Manipulis ex Bonis, de quibus agitur, & quidem pro Dote aſſignata Parocho in fundatione Parochialis, id, quod ſubmovet poſitivè contrariam præſumptionem, & efficacem tribuit vigorem oppoſitæ præſumptioni ſolutionis in manipulis quoad annualitates deſtitutas exhibitione Apocarum quietantiæ, *Rot. dec.112. num.36. par.14. rec.*, *dec.974. n.20. coram Dunozzet. Jun.*, *deciſ.466. num.5.*, *& 6. cor. Royas*, *& dec.1069. num.37. cor. Molin.*

18 Deſtitutus Abbas præſidio immemorabilis, & centenariæ conſuetudinis, ſivè præſcriptionis, juvari non poterat diffugio ad quadragenariam. Cujus examen, licèt aliqui ex DD. ſuperfluum in facto cenſuerint, quia nullus ſuperaccedit concomitatus titulus ſaltem coloratus, ſine quo nil quadragenariam

riam

ctiam in jure prodesse judicarunt ad effectum Parocho adimendi commodum exactionis Decimarum juxtà formam, & modum tot ex juribus statutum, *Rot. decis. 563. num. 8. coram Bich.*, *in Varsavien. Decimarum prima Julii* 1715. §. *Atque hinc coram bon. mem. Foscaro*, *in Tricaricen. Decimarum* 27. *Junii* 1736. §. 8., *& in confirmatoria* 10. *Decembris ejusdem anni* §. *Haud relevante in fine coram Eminentissimo Crescentio*, *& in eadem Causa* 26. *Junii* 1737. §. *Altera coram Eminentissimo Tanario inter ejus impressas dec.* 85. *num.* 9., *&* 10.

19 Multòque minùs è conspectu malæ fidei derivatæ in Reos conventos ex laudatis Synodorum Constitutionibus prohibentibus commutationem Decimarum Manipularium in præstationes quantitativas, & sanè adjecta excommunicationis pœna, & auctoritate Apostolica impertita cum clausula = *sublata*, *& decreto irritanti*, qua in hypothesi manifestò emicat vitium malæ fidei *Tusch. var. conclus. lit. C. conclus.* 795. *num.* 3. 5., *&* 6., *Rota dicta decis.* 91. *num.* 10. *par.* 11. *rec.*, *in Cracovien. Decimarum* 22. *Februarii* 1712. §. *Corruentibus coram Scotto*, *& in alia super bono jure* 26. *Junii* 1747. *sub* §. 7. *coram R. P. D. Clemente*, & radicitus inficitur subsequens consuetudo, & præscriptio tamquàm illicita ab actibus quos non licuit exercere absque incursu in pœnam excommunicationis ad *Text. in cap. final. de consuetud.*, ubi *Gloss. in verbo diutius*, *& in cap. ex parte eodem tit.*, *Gemin. consf.* 63. *num.* 18., *Calderin. cons.* 42. *in fin.*, *& consil.* 386. *alias* 1. *de regul.*, *Adden. ad decis.* 6. *num.* 104. *par.* 5., *Rot. decis.* 71. *num.* 8. *dicta par.* 5. *rec.*, attenta potissimum *prædicta clausula sublata*, *& decreto irritanti*, ut præter allegatos *in superiori* §. *In hac enim*, individualiter dixit *Rot. in Cracovien. Decimarum* 25. *Junii* 1706. §. *Haud obstante*, *&* 15. *Maji* 1710. §. *Atque hinc coram bon. me. Caffarello*, *in Varsavien. Decimarum* 1. *Julii* 1715. §. *Atque hinc*, *&* §. *final. coram Foscaro*, *in alia Cracovien. Decimarum* 26. *Junii* 1747. §. 7. *in fin. coram R. P. D. Clemente*, *& in alia simili Cracovien. Decimarum* 17. *Junii* 1749. §§. 7., *&* 9. *cor. R. P. D. meo Canilliac*.

20 Causa tamen nulla erat ambigendi, allegari revera in facto non posse quadragenariam quasi possessionem continuatam solvendi decimas in certa annua summa pecuniaria florenorom 60., adhibita namque inspectione Apocarum solutionum interpolata adeò detecta est series annualitatum, quarum præstatio contendebatur facta in pecunia, juxta exhibitas acceptilationum Schedulas, ut ab anno 1631. per successivum temporis huc usque decursum jungi nequierint conti-

nua-

nuato annualitatum ordine solutiones hujusmodi per non interruptam consequentem seriem quadraginta annorum, veluti necesse de jure est ad implorandum beneficium quadragenariæ in odiosa facti specie, per vulgatas doctrinas, de quibus *superiori §. Re autem vera, & seq.*

Et ita omissis cœteris levioris momenti ùtraque &c.

Eadem coram Eodem.

Super Manutentione.

Lunæ 27. Aprilis 1750.

1 IN Contradicto superiori instantia judicio præstationis Decimarum, quas Matthias Rozanski Parochus Ecclesiæ Sanctæ Catharinæ Villæ Vvilkovisko tuetur, fore sibi solvendas in manipulis, sivè in specie fructuum ex Agris obnoxiis in dicta Villa Dominio directo Monasterii, sivè Abbatis Ciriciensis, pronunciavit A. C. Cincius, immeritò bonum jus Parocho controverti ab Abbate Ciriciensi, & litis consortibus Conjugibus de Pianstunzyski Tenutariis Possessoribus bonorum, qui offerunt pensitationem Decimarum in pecunia, nempè in annuis Florenis 60. monetæ Polonicalis; neque difformiter respondit Sac. Tribunal in contemporanea Dubii exhibitione super bono jure; Amplius verò cum A. C. Manutentionem decreverit eidem Parocho in quasi possessione exigendi disputatas Decimas in manipulis, hinc vigore rescripti Signaturæ Justitiæ delata simul in gradu appellationis cognitione possessorii cum Clausula = *Quoad Mandatum de Manutenendo alteri cum facultate manutenendi quem de jure* = rogavi DD. = *An, & cui sit danda Manutentio in casu &c.* = qui non hæsitarunt respondere = *Manutentionem esse dandam Parocho.*

2 Perspicua Juris dispositio comperta in contemporanea mea *Decisione*, roborata ab observantia *tùm* generali vigente per totum qua latè patet Regnum Poloniæ, *tùm* à particulari in Diœcesi Cracovien., quam probarunt quoque res judicatæ semel, & iterum desuper emanatæ, accedente in validiorem confirmationem controversi juris iterata Constitutione Synodali, authorantibus Summis Pontificibus sub inserta Clausula = *Sublata, & Decreto irritanti* =, non patitur revocari in dubium, quod Parocho Sanctæ Catharinæ præstari debeant Decimæ in Manipulis, quodque proinde non liceat Abbati Ciriciensi, & Tenutariis Possessoribus bonorum de directo dominio Mona-

ste-

ſterii exiſtentium in Villa Vvilkovvisko intra fines Eccleſiæ Parochialis limitare hujuſmodi Parochi jus, compellendo eumdem ad exactionem Decimarum in pecunia, juxta ea, quæ firmiter expendit contemporanea altera Deciſio ſuper bono jure.

3 Hinc correſpectiva Judicii ratione debuit Parocho adjudicari manutentio in quaſi poſſeſſione conſequendi re ipſa in manipulis diſputatas Decimas, abſque eo quod ulla compellat neceſſitas inquirendi, num ipſi potius, vel Abbati Ciricienſi faveat quaſi poſſeſſio exigendi in manipulis, ſivè perſolvendi reſpectivè in pecunia; Quoniam vis ea inhæret judicio petitorio, ut ſemel ac inde emicuerit bonum jus alterius Collitigantis, iſti incunctanter ad dictamen ſtyli, & æquitatis Sac. Auditorii adjudicatur in altero ſimultaneo Judicio momentaneo poſſeſſorio manutentio, quemadmodum in ſpecie teſtantur *deciſ. 2. num. 1. tit. de Decimis cor. Falconer.*, & in alia *Cracovien. Decimarum ſuper Manutentione 26. Junii 1747. §. 2. coram R. P. D. meo Clemente.*

Et ita Collitigantibus omnibus auditis.

ROMÆ, MDCCL.
Ex Typographia Rev. Cam. Apoſtolicæ.

Superiorum permiſſu.

sterii existentium in Villa Vvilkòvvisko intra fines Ecclesiæ Parochialis limitare hujusmodi Parochi jus, compellendo eumdem ad exactionem Decimarum in pecunia, juxta ea, quæ firmiter expendit contemporanea altera Decisio super bono jure.

9 Hinc correspectiva judicii ratione debuit Parocho adjudicari manutentio in quasi possessione consequendi re ipsa in manipulis disputatas Decimas, absque eo quod ulla compellat necessitas inquirendi, num ipsi potius, vel Abbati Cisterciensi faveat quasi possessio exigendi in manipulis, sive persolvendi respective in pecunia; Quoniam vis ea inhæret judicio petitorio, ut semel ac inde emicuerit bonum jus alterius Collitigantis, isti incunctanter ad dictamen styli, & æquitatis Sac. Auditorii adjudicatur in altero simultaneo judicio momentaneo possessorio manutentio, quemadmodum in specie testantur *decis. 2. num. 1. tit. de Decimis cor. Falconer.*, & *in alia Cracovien. Decimarum super Manutentione 26. Junii 1747. §. 2. coram R. P. D. meo Clemente*.

Et ita Collitigantibus omnibus auditis.

ROMÆ, MDCCL.
Ex Typographia Rev. Cam. Apostolicæ.

Superiorum permissu.